

## **De studiosorum sanitate tuenda / [Marsilio Ficino].**

### **Contributors**

Ficino, Marsilio, 1433-1499.

### **Publication/Creation**

Basle : J. Bebel, 1529.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rtv2es7b>


### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





C II

15/4

2261

A

Variation  
margue & fibre

en état vaut 1.000  
avec la courbe  
f. rare

160


ET

Paris




216/  
A
















MARSILII FICINI

FLORENTINI MEDICI

atq3 Philosophi celeberrimi,

DE STUDIOSORUM SANITATE TUENDA.

---

BASILEAE, APVD IO. BEB.  
ANNO M. D. XXIX.

*Ex libris C. f. X. Mercier de Compiègne,  
Commissaire de la Marine.*

*Paris. 1790.*

*(Racine)*



M  
FIG  
a



THE  
LIBRARY  
OF  
THE  
MUSEUM  
OF  
ARTS  
AND  
CRAFTS



# MARSILII

FICINI FLORENTINI MEDI

ci atque philosophi celeberrimi, de Studio  
forum sanitate tuenda, siue eorū qui  
literis operam nauant, bona ua  
letudine conseruanda.

LIBER PRIMVS.

De nouem Studiosorū ducibus. Cap. I.



Vicunque iter illud asperum,  
arduumq; & longum ingredi  
untur, quod quidem uix tan  
dem ad excelsum nouem Musarum  
templum assiduo labore  
perducit, nouem omnino itine  
ris huius ducibus indigere uidentur. Quorum primi  
quidem tres in cœlo, tres sequentes in animo, postre  
mi tres in terra, nos ducunt. Principio, in cœlo Mer  
curius, ut inuestigando Musarum iter aggrediamur,  
uel impellit uel adhortatur. Siquidem Mercurio tri  
butum est inuestigationis omnis officiū: deinde Phœ  
bus ipse, & quærentes animos & res quæsitæ splen  
dore uberrimo sic illustrat, ut perspicuè quod quære  
batur, à nobis inueniatur. Accedit gratiosissima Ve  
nus, Gratiarū mater, atque almis omnino lætisq; ra

A



dijs suis, rem omnem adeò condit & ornat, ut quic-  
 quid & instigante Mercurio quæsitum fuit, & mon-  
 strante Phœbo iam erat inuentum, mirifica quadam  
 & salutarī uenustate Veneris circumfusus, delectet  
 semper & proſit. Sequuntur tres itineris huius duces  
 in animo, uidelicet uoluntas ardens & stabilis, acu-  
 men ingenij, memoria tenax. Tres in terra postremi  
 sunt, prudētissimus paterfamilias, probatissimus præ-  
 ceptor, medicus peritissimus. Absq; his nouem duci-  
 bus nemo ad ipsum nouem Musarū templum perue-  
 nire uel potuit, uel poterit unquam. Cæteros quidem  
 duces ab initio nobis præcipue Deus omnipotēs natu-  
 raq; tribuerūt, tres uero postremos nostra adhibet di-  
 ligentia. Sed præcepta officiaq; quæ ad patremfami-  
 lias, & quæ ad præceptorem circa literarum studia  
 pertinent, antiqui plures sapientesq; tractauerunt,  
 præcipue Plato noster, & sæpe alijs, & in libris de  
 repub. ac de legibus diligentissime. Deinde Aristote-  
 les in Politicis: Plutarchus quoque & Quintilianus  
 egregie. Solus autem literarū studiosis hætenus de-  
 est medicus aliquis, qui manum euntibus porrigat, sa-  
 lutaribusq; consilijs atq; medicinis adiuet eos, quos  
 neque cœlum neq; animus, neq; paterfamilias præce-  
 ptor ue destituit. Ego igitur sortem eorū laboriosissi-  
 mam miseratus, qui difficile, Mineruæ minuētis ner-  
 uos, iter agunt, primus tanquam medicus debilibus  
 & uale



SANITATE TVENDA. LIB. I. 9

Et ualeudinarijs adsum, sed utinam facultate tam integra, quàm propitia uoluntate. Surgite iam adulescentes, Deo duce alacres. Surgite iuuenes, atq; uiri, quos ardentius Mineruæ studium nimiũ enervat. Accedite libenter ad medicum, qui uobis ad instituti uestri perfectionem monstrante Deo atq; fauente, consilia remediaq; salutaria largitur.

Quàm diligens habenda cura sit cerebri, cordis, stomachi, et spiritus. Cap. II.

**P** Rincipio quantã cursores cruriũ, athletæ brachiorum, Musici uocis curã habere solent, tantam saltem literarum studiosos cerebri, et cordis incinorisq; et stomachi oportet habere rationem. Imò uero tanto maiorem, quanto et membra hæc præstantiora quàm illa sunt, et ij frequentius atq; ad potiora his membris, quàm illi illis utuntur. Præterea solers quilibet artifex instrumenta sua diligentissime curat: penicillos pictor, malleos incudésque faber ætariius, miles equos et arma, uenator canes et aues, citharam citharædus, et sua quisq; similiter. Soli uero Musarum sacerdotes, soli summi boni ueritatisq; uenatores, tam negligentes (proh nefas) tamq; infortunati sunt, ut instrumentum illud, quo mundum uniuersum metiri quodammodo et capere possunt, negligere penitus uidentur. Instrumentum eiusmodi, spiritus



#### 4 MARS. F. DE STUDIO SORVM

τὸ αἷμα  
πλεῖστον  
εὐμετάλλει  
τα μέγας  
σωέσιος  
Hippoc.

ipse est, qui apud medicos uapor quidā sanguinis, purus, subtilis, calidus, & lucidus definitur. Atque ab ipso cordis calore, ex subtiliori sanguine procreatus uolat ad cerebrū, ibiq; animus ipso ad sensus tam interiores quā exteriores exercendos, assidue utitur. Quāobrem sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus deniq; rationi. Sanguis autē à uirtute naturali quæ in iocinore stomachoq; uiget, efficitur. Tenuissima sanguinis pars fluit in cordis fontem, ubi uitalis uiget uirtus. Inde creati spiritus cerebri & (ut ita dixerim) Palladis arces ascendūt: In quibus animalis, id est, sentiendi mouendiq; uis dominatur. Itaque talis plurimum fermē contemplatio est, quale sensus ipsius obsequium. Talis autem sensus, qualis & spiritus: spiritus uero talis, qualis & sanguis: & tres illæ uires, quas diximus, naturalis scilicet, uitalis, & animalis, tales ut sunt à quibus, per quas, in quibus spiritus ipsi concipiuntur, nascuntur, atque fouentur.

Literatos pituitæ & atræ bili obnoxios esse. Cap. III.

**N**on solum uero membra illa, uiresq; & spiritus, homines literarū cupidi curare diligentissime debent, uerū etiam pituitam semper & atrabilem nō aliter quā nauigantes Scyllam atque Charibdim cautissime deuigare iubentur. Quantum enim reliquo



reliquo corpore ociosi sunt, tantum cerebro ac mente  
negociosi. Inde pituitam, quod Græci phlegma: hinc  
atram bilem, quam iidem melancholiā uocant gi-  
gnere compelluntur. Illa quidem ingenium sæpe ob-  
tundit & suffocat: hæc uero si nimium abundauerit  
flagraueritue, assidua cura crebrisq; deliramentis ue-  
xat animum, iudiciūq; perturbat: Vt nō immeritō  
dici possit, literatos fore præcipue sanos, nisi pituita  
molesta esset: & lætissimos sapientissimosq; omniū,  
nisi bilis atræ uitio uel mœrere sæpe, uel interdū de-  
sipere cogerentur.

Quot sint causæ, quibus literati melancholici  
sint, uel fiant. Cap. IIII.

**V**T autem literati sint melancholici, tres potissi-  
mum causarum species faciunt. Prima cœle-  
stis, secunda naturalis, tertia est humana. Cœle-  
stis, quoniam Mercurius qui ut doctrinas inuestige-  
mus, inuitat, & Saturnus qui efficit, ut in doctrinis  
inuestigandis perseueremus, inuentasq; seruemus, fris-  
gidi quodammodo sicciq; ab Astronomis esse dicun-  
tur: uel si forte Mercurius non sit frigidus, sit tamen  
sæpe Solis propinquitate siccissimus, qualis est natu-  
ra apud medicos melancholica: eandemq; naturam  
Mercurius ipse & Saturnus literarū studiosis, eorum  
sectatoribus impertiūt ab initio, ac seruant augentq;



quotidie. Naturalis autem causa esse uidetur, quod ad scientias præsertim difficiles consequendas, necesse est animum ab externis ad interna, tanquam à circumferentia quadam ad centrum sese recipere, atq; dum speculatur in ipso (ut ita dixerim) hominis centro stabilissime permanere. Ad centrum uero à circumferentia se colligere, figiq; in centro, maxime terræ ipsius est proprium, cui quidem atrabilis persimilis est. Igitur atrabilis animum, ut se & colligat in unum, & sistat in uno contempleturq; assidue prouocat. Atque ipsa mundi centro similis, ad centrum rerum singularem cogit inuestigandum, euehitq; ad altissima quæq; comprehendenda: quandoquidem cum Saturno maxime congruit altissimo planetarum. Contemplatio quoq; ipsa uicissim assidua quadam collectione & quasi compressione, naturam atræ bili persimilem contrahit. Humana uero ea ex nobis causa est. Quoniam frequens agitatio mentis, cerebrum uehementer exiccat: igitur humore magna ex parte consumpto (quod caloris naturalis pabulum est) calor quoq; plurimum solet extinguere, unde natura cerebri sicca frigidaq; euadit, quæ quidem terrestris & melancholica qualitas nominatur. Præterea ob frequentissimum inquisitionis motum, spiritus quoq; moti continue resoluuntur: Resolutos autem spiritus, ex subtiliore sanguine instaurari necessarium est. Quapropter subtilioribus clarioribusq;



ribusq; sanguinis partibus sæpe consumptis, reliquus sanguis necessario densus redditur & siccus & ater. Accedit ad hæc, quod natura in contemplatione, cerebro prorsus cordiq; intenta, stomachum eparq; destituit. Quare alimentis præsertim uel uberioribus uel durioribus male concoctis, sanguis inde frigidus crassusq; & niger efficitur. Demum nimio membrorum ocio neque superflua excernuntur, neque glutinosi, tenaces, fusciq; uapores exhalant. Hæc omnia melancholicum spiritum, mœstumq; & pavidum animũ effecere solent. Siquidem interiores tenebræ multo magis quàm exteriores, mœrore occupant animum atq; terrent. Maxime uero literatorum omnium hi atra bile premuntur, qui sedulo philosophiæ studio dediti, mentem à corpore rebusq; corporeis seuocant, incorporeisq; coniungunt: tum quia difficilius admodũ opus maiori quoque indiget mentis intentione, tum quia quatenus mentem incorporeæ ueritati cõiungunt, eadem uenit à corpore disiungere compelluntur. Hinc corpus eorum nonnunquam, quasi semianimum redditur atque melancholicum. Quod quidem Plato noster in Timæo significat, dicens, animũ diuina sæpiissime & intensissime contemplantem, alimentis eiusmodi adeò adulescere potentemq; euadere, ut corpus suum supra quàm natura corporis patiatur exuperet, ipsumq; uehementioribus agitationibus suis aliquando

Causæ.



uel effugiat quodammodo, uel nōnunquam quasi dis-  
soluere uideatur.

Cur melancholici ingeniosi sint, & qui  
horum sint eiusmodi, aut secus.

Caput V.

**H**Actenus quam ob causam Musarū sacerdotes  
melancholici uel sint ab initio, uel studio fiāt,  
rationibus primo coelestibus, secundo naturalibus,  
tertio humanis ostendisse sit satis. Quod quidem con-  
firmat in libro problematū Aristoteles: Omnes enim  
inquit, uiros in quauis facultate praestantes melanco-  
licos extitisse. Quā in re Platonium illud quod in li-  
bro de scientia scribitur, confirmauit: ingeniosos ui-  
delicet plurimū concitados furiososq; esse solere. De-  
mocritus quoq; nullos, inquit, uiros ingenio magnos,  
præter illos qui furore quodam perciti sunt, esse un-  
quā posse. Quod quidē Plato noster in Phædro pro-  
bare uidetur, dicens poëticas fores frustra absq; furo-  
re pulsari. Etsi diuinū furorē hic forte intelligi uult,  
tamen neque furor eiusmodi apud phisicos, alijs un-  
quam ullis, præterquam melancholicis incitatur. De  
inceps uero assignandæ à nobis rationes sunt, quare  
Democritus & Plato & Aristoteles asserant, melan-  
cholicos nonnullos interdum adeo ingenio cunctos ex-  
cellere, ut non humani, sed diuini potius uideantur.

Assue



Asseuerant id Democritus, Plato & Aristoteles absq;  
 dubio, rationem uero tantæ rei haud satis explicare  
 uidentur. Audendum tamen (monstrante Deo) cau-  
 sas indagare. Melancholia (id est atra bilis) est du-  
 plex: Altera quidem naturalis à medicis appellatur,  
 altera uero adustione contingit. Naturalis illa nihil  
 est aliud, quàm densior quædam sicciórq; pars sangui-  
 nis. Adusta uero in species quatuor distribuitur. Aut  
 enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris,  
 aut bilis, aut salsæ pituitæ combustione concipitur.  
 Quæcunq; adustione nascitur, iudicio & sapietia no-  
 cet: nempe dum humor ille accenditur atque ardet,  
 concitatos furentesq; facere solet: quam Græci Ma-  
 niam nuncupant, nos uero furorem. At quando iam  
 extinguatur, subtilioribus clarioribusq; partibus re-  
 solutis, solaq; restante fuligine tetra, stolidos reddit et  
 stupidos, quem habitum melancholiam proprie &  
 amentia uecordiamq; appellant. Sola igitur atra bi-  
 lis illa quam diximus naturalem, ad iudiciū nobis sa-  
 pientiamq; conducit. Neque tamen semper. Sanè si so-  
 la sit, atra nimium densaq; mole obfuscatur spiritus, ter-  
 ret animum, obtundit ingenium. Si uero pituitæ sin-  
 plici misceatur, quum frigidus obstiterit circum præ-  
 cordia sanguis, crassa quadam frigiditate segniciem  
 adducit atque torporem, atq; ut densissimæ cuiusque  
 materiæ natura est, quando cuiusmodi melancholia fri-

Duplex  
 melanco-  
 lia.

2. Georg.



gescit, ad summum frigiditatis intenditur. Quo in sta-  
 tu nihil speratur, timentur omnia, tædet cœli conue-  
 xa tueri. Si bilis atra uel simplex uel mixta putrescit  
 quartanâ gignit febrem, lienis tumores, & multa ge-  
 neris eiusdem. Vbi nimis exuberat, siue sola sit, siue  
 coniuncta pituitæ, spiritus crassiores facit atq; frigi-  
 diores. Continuo animum afficit tædio, mentis aciem  
 hebetat, nec salit arcadico circû præcordia sanguis.  
 Oportet autem atram bilem neque tam paucam esse,  
 ut sanguis, bilis, & spiritus quasi freno careât: Vnde  
 instabile ingenium labilemq; memoriam esse contin-  
 gat: Neque tam multam ut nimio pondere prægra-  
 uati dormire atq; egere calcaribus uideamur. Pro-  
 inde necessarium est, omnino eam esse quoad eius na-  
 tura patitur, subtilissimam. Si enim tenuata pro natu-  
 ra sua maxime fuerit, poterit forsitan absq; noxa eti-  
 am esse multa: atq; etiam tanta ut æquare bilem sal-  
 tem pondere uideatur. Abundet igitur atra bilis, sed  
 tenuissima: non careat humore subtilioris pituitæ cir-  
 cumfuso, ne are scat prorsus durissimaq; euadat. Non  
 tamen misceatur omnino pituitæ, præsertim uel frigi-  
 diori uel multæ, ne frigescat: Sed bili sanguiniq; adeo  
 misceatur, ut corpus unum conficiatur ex tribus, du-  
 pla sanguinis ad reliqua duo, pro portione compo-  
 situm. Vbi octo sanguinis partes, duæ bilis, duæ iterû  
 atræ bilis portiones existant. Accendatur aliquantus  
 lunæ

Mediocri-  
 tas esto.



lum à duobus illis atra bilis, accensaq; fulgeat, nō uratur: ne, quemadmodū solet materia durior, dum feruet nimium, uehementius urat & concitet. Dum uero refrigescit, similiter frigescat ad summum. Bilis enim atra ferri instar, quando multū ad frigus intenditur, friget ad summum: quando contrā ad calidum ualde declinat, calet ad summum. Neque mirum uideri debet atram bilem accendi posse facile, atque accensam uehementius urere. Siquidem uidemus calcem illi similem, aqua perfusam feruere statim atq; exurere. Tantam ad utrunq; extremum melancholia uim habet, unitate quadam stabilis fixa q; naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus nō cōtingit. Summe quidem calens summam præstat audaciam, imò ferocitatem, extreme uero frigens, timorem ignauiamq; extremā. Medijs uero inter frigus caloremq; gradibus affecta uarie, affectus producit uarios, non aliter quàm merum, præcipue potens, bibentibus ad ebrietatem uel etiam paulò liberius affectus inferre uarios solet. Igitur opportunè temperata sit atra bilis oportet. Quæ quum ita moderata est, ut diximus, & bili sanguiniq; permixta, quia & natura sicca est & conditione quantum ipsius natura patitur tenuissima, facile ab illis accenditur, quia solida est atq; tenacissima, accensa semel diutissime flagrat, quia tenacissima siccitatis unitate potentissima est, uehementius

Bilis atræ  
ultra citrà  
que medio-  
critatē no-  
xæ.



incalescit: Quemadmodū lignum in paleis si utraque  
accendatur, magis diutiusq; calent & lucent. Atqui à  
diuturno uehementiq; calore, fulgor ingens, motusq;  
uehemens & diuturnus proficiscuntur. Huc tendit il-  
lud Heracliti: Lux sicca, anima sapientissima.

Quo pacto atra bilis ingeniosos  
efficiat. Cap. VI.

**Q**uæret forte quispiam, quale sit corpus illud  
humoris eiusmodi ex tribus illis humoribus,  
ea qua diximus proportionem conflatum? Tale est fer-  
mè colore, quale aurum esse uidemus, sed aliquanti-  
us uergit ad purpuram. Et quando tam naturali calore  
quàm uel corporis uel animi motu accenditur? fermè  
non aliter q̃ ignitum rubensq; aurum, purpureo mi-  
xtum calet & lucet, atq; uelut iris trahit uarios fla-  
grante corde, colores. Quæret aliquis iterum, quo  
nam pacto humor eiusmodi conducat ingenio? Nem-  
pe spiritus ex hoc humore creati, primo quidem sub-  
tiles sunt, nō aliter quàm aqua illa quam & Vitæ, scio  
Vitis aquam nominant & Ardente, quoties ex cras-  
siori mero, quadā ad ignem destillatione, ut fieri solet  
exprimitur. Spiritus enim sub angustioribus atræ bi-  
lis eiusmodi cōpressi meatibus, uehementiore ob uni-  
tate calore, maxime tenuantur, perq; arctiores mea-  
tus expressi, subtiliores erumpunt. Deinde calidiores  
simi-



Similiter atque eadem ratione lucidiores, tertio, motu  
 agiles, actione uehementissimi, quarto, solido stabi-  
 liq; humore iugiter emanantes, actioni diutissime ser-  
 uiunt. Tali autem animus noster obsequio fretus in-  
 dagat uehementer, perseuerat inuestigando diutius.  
 Facile quaecunq; inuestigauerit, inuenit, clare perspi-  
 cit, sincere dijudicat, ac diu retinet iudicata. Adde  
 quod quemadmodū in superioribus significauimus,  
 animus instrumento siue incitamento eiusmodi, quod  
 centro mundi quodammodo congruit, atque (ut ita di-  
 xerim) in suum centrum animū colligit, semper rerū  
 omnium & centra petit, & penetralia penetrat: Cō-  
 gruit insuper cum Mercurio atq; Saturno: quorum  
 alter omnium Planetarum altissimus, inuestigantem  
 euehit ad altissima. Hinc philosophi singulares eua-  
 dunt, praesertim quū animus sic ab externis motibus  
 atque corpore proprio seuocatus, & quamproximus  
 diuinis, diuinorum instrumentum efficiatur. Vnde  
 diuinis influxibus oraculisq; ex alto repletus, noua  
 quaedā inusitataq; semper excogitat, & futura prae-  
 dicit. Quod non solum Democritus atq; Plato affir-  
 mant, sed etiam Aristoteles in Problematū libro, &  
 Auicenna in libro Diuinorū, & in libro de Anima  
 confitentur. Quorsum haec de atrae bilis humore tam  
 multa? Vt meminerimus, quantū atra bilis, imò can-  
 dida bilis eiusmodi quærenda & nutrienda est tan-



quam optima, tantum illam quæ contrà se habet, ut diximus, tanquam pessimā esse uitandam. Adeò enim dira res est, ut à malo dæmone eius impetus instigari Serapio dixerit, & Auicenna sapiens nō negauerit.

Quinq; præcipue studiosorū hostes, scilicet  
Pituita, Atra bilis, Coitus, Satietas, Ma-  
tutinus somnus. Cap. VII.

**V**T autem redeamus illuc unde iam longius di-  
gressi sumus, longissima uia est, quæ ad uerita-  
tem sapientiamq; perducit, grauibus terræq; marisq;  
plena laboribus. Quicumq; igitur hoc iter aggredi-  
untur, ut poëta quispiam diceret, sæpe terra mariq;  
periclitantur. Siue enim mare nauigent, continue in-  
ter fluctus, id est humores duos, pituitā scilicet & no-  
xiam illam melancholiam, quasi inter Scyllam Cha-  
ribdimq; iactantur. Siue terra (ut ita dixerim) iter-  
agent, tria monstra protinus sese illis obijciunt. Pri-  
mum terrena Venus, secundum, Bacchus & Ceres,  
tertium, nocturna Hecate frequenter opponit. Ergo  
& Apollo ab æthere, & Neptunus ab æquore, & à  
terra Hercules sæpe uocandi, ut monstra eiusmodi  
Palladis inimica, iaculis Apollo transfigat, Neptu-  
nus tridente domet, claua Hercules contundat & la-  
ceret. Primum quidem monstrū est uenerereus coitus,  
præsertim si uel paulum uires excesserit. Subito nam  
que



que exhaurit spiritus, præsertim subtiliores, cerebrumq; debilitat, labefactat stomachum atq; præcordia, quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. Cur nam Hippocrates coitum comitiali morbo similem indicauit? nisi quia mentem, quæ sacra est percellit, tantumq; obest, ut Auicenna in libro de Animalibus dixerit: Siquid spermatis supra quàm natura toleret, coitus profluat, obesse magis, quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit, ut non iniuria prisci Musas atque Mineruam uirgines esse uoluerint. Huc Platonium illud spectat, quum Venus Musis minitaretur, nisi sacra uenerea colerent, se contra illas suum filium armaturam. Responderunt Musæ, Marti, ô Venus, Marti talia minitare. Tuus enim inter nos Cupido non uolat. Deniq; natura nullum sensum longius quàm tactum ab intelligentia segregauit. Secundum monstrum, est uini cibiq; facietas. Quippe si uinum uel nimium uel nimis calidum uehemensq; fuerit, caput ipsum humoribus pessimisq; fumis implebit. Mitto quod insanos facit ebrietas. Cibus uero nimius, primum quidem ad stomachum, in ipso coquendo omnem naturæ uim reuocat. Quo fit, ut capiti simul speculationiq; intendere nequeat. Deinde inepte coctus, multis et crassis uaporibus humoribusq;, aciem mentis obtundit. Quin etiam si satis coquatur, tamen ut Galenus ait, animus adipe & sanguine suffocatus, cœleste aliquid perui-



dere non potest. Tertium deniq; monstrū est, ad multam noctem, præsertim post coenam frequentius uigilare: unde etiam post ortum solis dormire cogaris.

Quoniā uero in hoc errant fallunturq; studiosi per multi, idcirco quantum ingenio noceat, latius explicabo, atq; rationes septem præcipuas afferam. Primam ab ipso cœlo, Secundā ab elementis, Tertiā ab humoribus, Quartā ab ordine rerum, Quintā à natura stomachi, Sextā à spiritibus, Septimā à phantasia deductas. Principio, tres Planetæ, quemadmodum in superioribus dicebamus, contemplationi & eloquentiæ maxime fauent, Sol, Venus, atq; Mercurius. Hi uero paribus fermè passibus concurrentes, aduentante nocte nos fugiūt, die uero uel propinquantē, uel iam surgente resurgūt, nosq; reuisunt. Post uero solis ortum in plagam cœli duodecimam, quæ carceri tenebrisque ab Astronomis assignatur, repente truduntur. Ergo nō qui uel nocte quando nos fugiūt, uel die post solis ortum, quando carceris tenebrarūq; domum intrant, sed qui uel propemodum petentibus ortum, uel iam surgentibus ad contemplandum scribendumq; ipsi quoq; consurgūt, ij soli acutissime speculantur, & eloquentissime inuenta sua scribunt atq; componunt. Ratio secunda scilicet ab elementis est talis. Oriente sole mouetur aër, tenuaturq; & claret, occidente uero contrā. Sanguis autem & spiritus, mo-  
tunt



tum qualitatēq; aëris circūfusi, naturaq; similis sequi  
 necessariò compellūtur. Tertia ratio, quæ ab humo-  
 ribus ducitur, est eiusmodi. In aurora mouetur san-  
 guis, & regnat, motuq; tenuatur & calefcit & claz-  
 ret, spiritus uero sanguinē sequi imitariq; solent. Ve-  
 rum accedente nocte melancholia illa crassior & fris-  
 gidior, atq; pituita dominantur, quæ spiritus ad spe-  
 culandum ineptissimos proculdubio reddunt. Quar-  
 ta ratio, quæ trahitur ab ordine rerū, hæc erit. Dies  
 uigiliæ, nox somno tributa est. Quoniā quum sol uel  
 ad hemisphærium nostrum accedit, uel super ipsum  
 incedit, radijs suis meatus corporis aperit, atq; à cen-  
 tro ad circumferentiam humores spiritusq; dilatat,  
 quod quidem ad uigiliā actionesq; excita atq; condu-  
 cit. Cōtrā uero, quando recedit, omnia coarctantur,  
 quod naturali quodam ordine inuitat ad somnū, ma-  
 xime post tertiam aut quartam noctis partem. Quis-  
 quis igitur manē quidem dormitat, quando sol mun-  
 dusq; excitat, ad multam uero noctem uigilat, quan-  
 do natura dormire iam & à laboribus quiescere iue-  
 bet, hic absq; dubio quū ordini uniuersi, tum sibiipse  
 repugnat, dum cōtrarijs simul motibus perturbatur  
 atq; distrahitur. Sanè dum ab uniuerso mouetur ad  
 extima, ipse sese mouet ad intima: Atq; contrā, dum  
 ab uniuerso ad intima trahitur, ipse se int. rim retra-  
 hit ad externa. Ergo peruerso ordine motibusq; con-



trarijs, tum corpus totum, tum spiritus ingeniumq;  
 prorsus labefactatur. Quinto loco à natura stomachi  
 in hunc modum argumentamur. Stomachus diuturna  
 diurni aëris actione, apertis poris admodum dila-  
 tatur, euolantibusq; spiritibus tandem ualde debilita-  
 tur. Igitur subeunte nocte, nouam spirituum copiam  
 exigit, qua foueatur. Quapropter quicūq; eo tempo-  
 re contemplationes longas et difficiles inchoat, ipsos  
 ad caput spiritus retrahere nititur. Hi uero distracti  
 neq; stomacho satis, neq; capiti faciunt. Maxime uero  
 nocet, si post coenā lucubantes, diu eiusmodi studijs  
 attentius incumbamus. Pluribus enim tunc ad conco-  
 quendū cibum spiritibus, multoq; calore stomachus  
 indiget. Hæc uero duo, lucubratione studioq; tali dia-  
 uertuntur ad caput. Quo fit, ut neq; cerebro, neque  
 stomacho suppetāt. Adde quod caput ob eiusmodi mo-  
 tum, crassioribus cibi repletur uaporibus, atq; cibus  
 in stomacho à calore & spiritu destitutus, crudescit  
 & putret, unde rursus caput opplet atq; lædit. Deni-  
 que matutinis horis, quando surgendum est, ut excre-  
 mentis omnibus somno retentis singula membra pur-  
 gentur, tunc id quod pessimū est, qui nocte lucubran-  
 do concoctionē penitus interruperat, idem dormien-  
 do manē, excrementorum expulsionem diutius impe-  
 dire cōpellitur. Quod quidem tam ingenio quàm cor-  
 pori, medici omnes obesse quamplurimum arbitran-  
 tur.



tur. Merito ergo qui nocte contra naturam pro die, atq; conuerso, die rursus pro nocte utuntur, tanquam noctuæ, ij etiam in hoc uel inuiti noctuas imitantur, ut quemadmodum illis sub solis lumine caligant oculi, ita & ijs mentis acies sub ueritatis splendore caliget. Sexto loco à spiritibus idem ita probatur. Spiritus fatigatione diurna præsertim subtilissimi quiq; deniq; resoluuntur. Nocte igitur pauci crassiq; supersunt, literarum studijs ineptissimi, ut non aliter mancis horum fretum alis ingenium uolare possit, quàm uespertiliones atq; bubones. Contrà uero post somnũ manè spiritibus recreatis, membrisq; adeò corroboratis, ut minimo spirituum amminiculo egeant, multi subtilesq; spiritus adsunt, qui cerebro seruiant atq; expeditius obsequi possunt, in membris fouendis regendisq; parum admodum occupati. Postremo septima ratio, sic à phantasiæ natura deducitur. Phantasia siue imaginatio siue cõgitatio, seu quouis alio nomine nuncupanda uidetur, multis, longis, contrarijs inuigilando imaginibus, cogitationibus, curisq; distrahitur atq; turbatur. Quæ quidem distractio perturbatioq; sequenti contemplationi, tranquillam serenamq; mentem penitus postulanti, nimium contraria est. Sola uero nocturna quiete, agitatio illa sedatur tandem atq; pacatur. Igitur accedente quidem nocte, semper turbata mente, recedente uero, utpluri-



mum mente tranquilla ad studia nos cōferimus. Quicunq; uero mente nimium agitata res ipsas iudicare conantur, ij nō aliter quā illi qui uertiginē patiūtur, omnia uerti putant ( ut Plato inquit ) quum ipsi uertantur. Quamobrem scite Aristoteles in Oeconomiacis iubet ante lucem surgere, asseritq; id & ad corporis sanitatē, & ad philosophiæ studia prodesse quā plurimum. Sed hoc ita accipiendum est, ut cita & modica cœna matutinam cruditatem diligentissime deuitemus. Deniq; sacer ille uates Dauid, omnipotentis tuba Dei, nunquam dicit uespere, sed mane semper atq; diluculo in deum suum canendū se cithara psalmisq; surgere. Surgere quidē mente, ea hora omnino debemus, mox etiā corpe, si modo id cōmode fieri possit.

Quæ sit hora inchoandis studijs opportuni-  
nior, quisue cōtinuandi modus.

Cap. VIII.

**E**X ijs quæ in superioribus disputata sunt, fer-  
mè iam satis constat, opportune nostra nos stu-  
dia exordiri, uel statim oriente sole, uel hora una sal-  
tem uel duabus ad summum ante solis exortum. Sed  
antequā è lecto surgas, perfrica parumper suauiterq;  
palmis corpus totū primo, deinde caput unguibus,  
sed id paulò leuius. Hac in re te Hippocrates admo-  
neat. Nā frictione, inquit, si uehemens sit, durari cor-  
pus:



SANITATE TVENDA. LIB. I.

21

pus: si leuis, molliri: si multa, minui: si modica, imple-  
ri. Quum è lecto surrexeris, noli subitæ lectioni me-  
ditationiq; prorsus incumbere, sed saltem horæ dimi-  
dium cuilibet expurgationi concedito, mox medita-  
tioni accingere diligenter, quam ad horam circiter  
unam pro uiribus prorogabis. Deinde remittes pa-  
rumper mentis intentionem, atq; interim eburneo pe-  
ctine diligenter & moderate pectes caput, à fronte  
cervicem uersus quadragies pectine ducto. Tum cer-  
uicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad  
meditandum, duas insuper horas, aut saltem horam  
unam studio dedicato. Produci uero nonnunquam stu-  
dia possunt, sed aliquanta interdum intermissione fa-  
cta, ad horam usq; meridianam. Quinetiam interdum  
quamuis raro, nisi cibum interim cogamur assumere  
post meridiem circiter horas duas. Sol enim circa or-  
tum potens est, potēs & in medio cœlo. In plaga quo-  
que illa cœli, quæ medium proxime sequitur, quam  
nonam Astronomi uocant & sapientiæ domum, Sol  
maxime gaudet. Quoniam uero Poëtæ omnes Phœ-  
bum Musarum scientiarumq; ducem esse uolunt, me-  
ritò si quid altius excogitandum est, his horis potissi-  
mum cogitetur. Si Musæ quærēdæ, horis ijsdē Phœ-  
bo duce quærantur. Reliquæ enim horæ, ueteribus  
alienisq; legendis potius quàm nouis proprijsq; exco-  
gitandis accommodatæ uidentur. Semper autem memi-

Hippoc. in  
eo. lib. quē  
Hippoc. in  
inscripsit.



nisse debemus, qualibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem. Quū enim ob intentionem huiusmodi spiritus resoluantur, meritō si nunquam cesses tendere, lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce. Mala est defatigatio corporis, peior animi, utriusq; simul pessima, oppositis hominem motibus simul distrahens, uitamq; disperdens. Deniq; haud ulterius meditatio procedat quā uoluptas, potius uero citrà.

Vitandæ pituitæ præcepta. Cap. IX.

**O** Per æpretium fore uidetur, quæ noxia literatis esse diximus repetere breuiter, atq; remedia singulis adhibere. Ergo ne pituita nimis augeatur, exercitatione quotidie stomacho fermè uacuo bis utendum, nunquam tamen laboriosa, ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa diligentissime ab omnibus meatibus expurganda. Sordes à corporis totius cute capitis præcipue, tum lotionē, tum frictionē penitus abstergendæ. Vitanda alimenta frigida nimium, atq; nisi obstiterit atra bilis, etiā humida, & omnino quæ pinguiā, uirulēta, uiscosa, unctā, glutinosāq; sint, uel quæ facile putrescere soleant. Si stomachus uel natura uel ætate sit frigidus, aut dimittendus omnino, aut certe minuendus aquæ potus. Moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior. Habitatio alta à grāui  
ui nu



ui nubilōq; aëre remotissima, tum ignis, tum calidi  
odori usu, humiditas expellenda. Prohibendum frigus  
à capite, maxime uero ceruice atq; pedibus: multum  
enim obest ingenio. Prodest moderatus usus arduum  
in frigidioribus epulis, nucis muscatae praesertim,  
& Cinnamomi, & Croci, Zinziberis quoq; conditi  
manè stomacho uacuo, quod sensibus etiam &  
memoriae maxime prodest.

Qua ratione uitanda sit atra bilis. Cap. X.

**P**essimam uero illam quam in superioribus detestabamur atram bilem, haec augent crassum  
turbidumq; uinum, praecipue nigrum, cibi duri, sicci,  
salsti, acres, acuti, ueteres, usti, assi, fricti, carnes bovis  
& leporis, caseus uetus, salsamēta, legumina, praecipue  
faba, lenticula, melongia, cruca, brassica, sinapis,  
radicula, allium, cepa, porrum, mora, cariota, &  
quaecunque calefaciunt uel frigefaciunt simulatq;  
desiccant, & omnia nigra: Ira, timor, misericordia,  
dolor, ocium, solitudo, & quaecunque uisum & olfactum  
audiumq; offendunt, omnium uero maxime tenebrae.  
Praeterea exiccatio corporis nimia, siue longis  
nata uigilijs, siue multa mentis agitatione uel cura,  
seu frequenti coitu, usuq; rerū calidarum multū,  
atque siccarum, seu immoderata quadam deiectione  
atq; purgatione uel exercitatione laboriosa, uel inc-



σπώσωλος

Vinum.

dia, siti, calore, uel sicciore uento, uel frigore. Quum uero bilis atra semper sicciſſima ſit, frigida quoq; licet non æque, huic certe reſiſtendum eſt, rebus quidẽ modice calidis, humidis uero quammaxime, cibus elixis aſſidue, qui coquantur facile, & ſubtilem gignant ſanguinem atq; clariſſimũ. Sed interim ut ſtomachi & pituitæ ratio habeatur, perinde atque bilis atræ, epulæ cinnamomo & croco & ſandalis condiantur. Conferunt ſemina peponis, atq; cucumeris, & pinei nuclei abluti. Conueniunt lacticia omnia, lac, caſeus recens, amygdalæ dulces. Conueniunt carnes auiũ & pullorum gallinaceorum, quadrupedũ uel lactentium, oua ſorbilia maxime, et ex membris animalium, cerebellum, dulcia mala, pyra, perſica, pepones, pruna damaſcena, atq; ſimilia: cucurbita rite cocta, herbae humidæ, nõ uiſcoſæ: Ceraſea uero, ficus, uuas, minime laudo. Nauſeam uero & ſatietatem ualde deſtor. Nihil autem aduerſus hanc peſtem ualentius eſt quàm uinum leue, clarum, ſuaue, odorum, ad ſpiritus præ cæteris perſpicuos generandos aptiſſimũ. Nam ut Platoni & Ariſtoteli placet, hic humor, hoc uino non aliter mollitur atq; dulceſcit & claret, quàm uel lupini aqua perfuſi, uel ferrũ flammis accenſum. Verum quantũ eius uſus ſpiritibus & ingenio prodeſt, tantum nocet abuſus. Præterea infundere aurum uel argentum maxime ignitum, eorumq; folia in poculis uel



uel in ipso iure prodesse consentaneum est, atque aureo uel argenteo uasculo bibere, cibosq; sumere. Item perutile est, si sæpe stomacho uacuo liquiritiæ succus deglutiatur: succus quoq; punici pomi dulcis, atque dulcis arancei. Conducunt nō mediocriter suaues odores, temperati maxime: at si regnat frigus, ad calidiū declinantes, sin dominetur calor, uergentes ad frigidum. Temperandi sunt igitur ex rosis, uiolis, myrto, camphora, sandalis, aqua rosacea, quæ frigida sunt. Rursus ex cinnamomo, citro, aranceo, gariophyllis, mētha, melissa, croco, ligno aloë, ambra, musco, quæ calida. Verni flores prosunt in primis & folia citri siue arancei, odoraq; poma, sed maxime uinum. Odores eiusmodi prout cuiq; conuenit, & naribus hauriendi sunt, & pectori atq; stomacho admodum uendi. Odores uero calidos multum siccōsq; si soli fuerint & continui non probamus. Tenendus ore Hyacinthus, qui animum uehementer exhilarat. Hierobotana quoque, id est sclarea syluestris, tū cibo tum odore confert. Buglossa rursus, borago, melissa, horūq; trium aqua. Rursus lactuca, endiuiā, uua passula, lac amygdalinum, mensæ familiarissima esse debent. Fugendus aër, aut feruens, aut glacialis nimium, aut nubilus, sed aër temperatus serenūq; liberrime admitendus. Mercurius, Pythagoras, Plato iubent dissoluantem animum uel mœrentem cithara, cantuq; tam



constanti quàm concinno cōponere simul atq; erigere. Dauid autem poëta sacer psalterio psalmisq; Saulē ab insania liberabat. Ego etiam (si modo infima licet componere summis) quantum aduersus atræ bilis amaritudinem dulcedo lyræ cantusq; ualeat, domi frequenter experior. Laudamus frequentem aspectū aquæ nitidæ, uiridis rubeiue coloris, hortorū nemonūq; usum, deambulationem secus flumina, perq; amœna prata iuauem, equitationem quoq; gestationem, nauigationemq; lenem ualde probamus, et uarietatem imprimis, facilesq; occupationes, diuersaq; negocia non molesta, assiduam hominum gratiosorum consuetudinem.

De curatione Stomachi. Cap. XI.

**S**equitur ut curam stomachi quamdiligenter habeamus, ne nauseam cruditatēue adducat unquam satietas, caputq; offendat. Bis cibus quotidie sumendus est, et modicus atq; leuis, Cinnamomo, Macce, nuce muscata moderate conditus. Semper tamen siccus cibus pondere alimenta mollia potumq; exuperet, nisi forte atræ bilis siccitatem admodum uercamur. Famem (si cōmode fieri potest) cibus, sitim potus expectet. Auiditas utriusq; supersit mensæ. Fastidium et saturitas procul absint. Abstinendum ab ijs quæ ob nimiam humiditatem uel uirulentam et unctam uiscosamq; materiam stomachū relaxando debilitant.

Satietas  
uitanda.



bilitant, uel etiā frigida aut calidissima sunt, aut pro  
 pter duritiam ægre coquuntur. Et quæ talia sunt, ut  
 diu post mensam palato saporem reddant molestio-  
 rem, siue inflent, siue caput multis uaporibus imple-  
 ant: ab omnibus imprimis quæ facile uel extra aluū,  
 uel in aluo putrescant. Dulces sapores, aut acres si so-  
 li sint, nullo pacto probamus: sed dulces, acri quodā  
 uel acuto uel sicco uolumus tēperari. Mastix & men-  
 tha sicca, salvia recēs, uuæ passulæ, cydonia poma co-  
 cta, condita saccharo, cicorea, rosa, corallus, lotus  
 capparis & aceto cōditus, stomacho amicissima sunt.  
 Mala præterea punica sapore inter acidū dulcemq;  
 medio, & omnino quæcunq; moderate acida sunt &  
 aliquantulū austera, quæ medici styptica uocant, siue  
 quæ aliquantum acuta sunt uel salsa uel aromatica:  
 Myrobalani autem omnia superant. Vinū quoq; ru-  
 beum potius quàm album, sapore quasi paululū sub-  
 amaro, ac nisi caliditas uel destillatio aliter postulaue-  
 rit, optimum erit merum bibitum paulatim. Omnino  
 autem liquidiores epulæ prius sumendæ quàm durio-  
 res. Sumpto uero cibo conuenit, coriandrum pomūq;  
 cydonium conditum saccharo, mala punica, & pira  
 austera, messpila quoq; & persica sicca, atq; similia.  
 Mandere uero oportet antequam deglutiātur, singula  
 exactissime. Fouendus stomachus si oportet extrin-  
 secus, mastice, rosa, mentha, corallo. Cauendū ne post



cibum, duabus aut tribus proximis horis uel cogitationi difficili, uel lectioni sedulo incubamus. Necessaria forsitan erunt horae uacationis quatuor, si cibus potius ue uberior fuerit, aut cibus durior. Malum est cibo potius uentre extendere, pessimum stomacho sic extento, difficilia cogitare. Aut igitur nutrimentum sume leuissimum, aut sumpto, uaca donec quasi concoxeris. Neque dormiendum post cibum meridie, nisi maxima cogat necessitas, atque id quidem non prius quam horas duas uigilauerimus. Nocte tamen sumpta coena, hora ut uidetur, una uigiliae sat est. Coitus stomacho pestilens, praesertim si uel saturo statim, uel esuriente concumbas. Ocio moeret stomachus, exercitatione gaudet, nisi dum cibo sit plenus. Sumpto cibo statim modice deambulandum, mox uero sedendum.

De ijs quae fouent membra praecipua &  
uires spiritus. Cap. XII.

**S**ed iam operae pretium facturus, ut nonnulla ex medicorum officina in medium producamus, quae stomachi, cordis, cerebri, spirituum ingenij, uires uel feruent integras uel restituant, ac si uel pituita uel atra bilis excrescat, uel immineat nausea longe propellant. Omnes sine controuersia medici consenserunt, nihil esse salutarius Theriaca, fouendis confirmandisque non singulis membris & uiribus, tum spiritibus atque ingenio.



ingenio. Huius igitur in primis utemur drachma di-  
midia, aut saltem drachmæ tertia parte, bis qualibet  
hebdomada hyeme & autumnno: Sed æstate atq; uere  
semel, uel sola, uel si placet frigidis humidisq; tempo-  
ribus cum pauculo mero claro, suauis: temporibus ue-  
ro calidis siccisq; , præsertim si natura uel ætas sit ca-  
lidior, cū aquæ rosaceæ duabus uncijs aut tribus, sto-  
macho scilicet uacuo, sex aut septem horis ante cibū.  
Si theriaca desit, dabimus mithridatum. Sed ubi the-  
riacā mithridatūm ue sumimus, eo die ab omni re ca-  
lida penitus abstinendū, & si æstas aut uer fuerit, fri-  
gidis est utendum. Secundo uero loco eadem in causa  
probatum ab omnibus Aloë rite electa atq; lota. Sum-  
me myrobalanorum chebularum drachmas duas, ro-  
sarum purpurearum, sandali rubei, emblicorum, cin-  
namomi, croci, corticis pomi citri, beem, melissæ, id  
est citrariæ, singulorum drachmam unam, aloës ele-  
ctæ riteq; ablutæ drachmas duodecim. Ex ijs confice  
pilulas optimo mero, quibus hebdomada qualibet se-  
mel utaris diluculo, eo scilicet pondere, quod naturæ  
tuæ conueniat: æstate quidem cū aqua rosacea, aliās  
uero cum uino. Quibus autem diebus neque theriacā  
neque pilulas assumes, utere confectione eiusmodi ma-  
ne atque uespere duabus aut tribus ante cibum horis.  
Sume cinnami electissimi drachmas quatuor, chebu-  
larum myrobalanorum duas, & totidem emblicarū,



croci, rosarum drachmam dimidiā, sandalorum rubrorum drachmas duas, corallorumq; similia drachmam unā, sacchari albiſſimi quantum satis est. Funde saccharum aqua rosacea atque succo citri uel limonum, equalibus uidelicet portionibus, coquas suauiter. Deinde adde musci tertiā drachmæ partem, atque ambræ tantundem. Demum confice bolos solidos quos morsulos uulgo uominant, auróq; inuolue. Tria hæc, ipsi eo usu quo præscripsimus, experti sumus, Theriacam & Aloë ita, ut diximus, temperatam, confectionemq; illam singulis conferre membris, uiribus & spiritibus, acuerere sensus atque ingenium, memoriam confirmare. Pituitam quoque & bilem, atq; atram bilem illis pilulis facile uel educi uel emendari. Præterea ætati cuilibet & naturæ, tria quæ diximus familiarissima iudicantur.

Pharmaca pituitæ repressiua atq;  
eductiua. Cap. XIII.

**S**I aduersus exundantē pituitam acrius pugnam dum fuerit, pilulas aurora ex Hierapicra Galeni, uel quas Mesues Elephanginas nominat, dabimus scilicet quot et quoties oportuerit, uel etiā in robustiore natura pilulas ex hiera atq; trochiscis agarici parvi portione compositas, semper uero cum melle rosaceo liquido atq; oximelle aquaq; maratri, id est fœnici  
culi



culi. Qui certe syrupus in pituita digerenda etiam ante pilulas atq; post eas maxime prodest. Si unà cum pituita ceteri quoque humores turbent, pilulis ex Rhu barbaro Mesues, uel pilulis quæ Sine quibus, à posterioribus nuncupantur, opportune purgabimus. Omnem uero uehementem repentinamq; deiectionem purgationemq; penitus detestamur. Nam stomachum corq; debilitat, spiritus multos exhaurit, confundit humores, spiritus fumis humorum fuscis obtenebrat.

Catarrhi & destillationis, cōmunis studio.

Forū pestis Remedia. Cap. XIII.

**V**bi caput propter pituitam destillationibus fluctuat, quandoq; hora somni aliquot ex pilulis quas modo descripsimus, dabimus. Iubebimus præterea ea hora & alijs Thus sæpe mandere: nā mirifice destillationibus & sensibus omnibus memoriæq; succurrit. Rursus muscata nux & theriaca ore retenta, probatur: Maiorana quoque, quam amaracum nominant, uel eius aqua admota naribus uel infusa. Post cibum uero, alimentorum fumos, coriandro cydoneisq; coërcebimus.

De dolore capitis. Cap. XV.

**S**i caput sæpe doleat humore grauatum frigido, præter illa quæ narrauimus, cōfectionē illam quam Diambra nominant, uel diacori uel Plirifar



coticon tenere ore iubebimus. Quinetiam masticens  
sepe mandere. Prætere linire frontē, tempora, cer-  
uicem, maioranæ, fœniculi, rutæ folijs unā cum oleo  
rosaceo tunsis, similiter aloë, aceto, oleo, aquaq; ro-  
saceis perfecte diluta.

Visus caligantis medelæ.

Caput XVI.

**V**Bi oculi caligant, neque rubent tamen, neque  
aliud præbent ullum caloris indicium, tunc sa-  
nè collyrium ex aqua fœniculi, maioranæ, chelido-  
niæ, rutæ, adhibito croco & antimonio confert. Sed  
aqua eiusmodi prius densiori panno est exprimenda.  
Nihil tamen admoueas oculis, nisi antea pilulis Lucis  
sepe purgaueris. At si caligantes oculi rubeant, subia-  
to pilulis ex fumo terræ compositis purga. Mox colli-  
rium ex aqua rosacea & saccharo prodest. Nonnun-  
quam uero albumine oui, tutia, lacte adiectis quā pri-  
mum opitulatur. Omnino autem quotidianus usus ma-  
ratri uisum seruat & acuit. Semen quidē eius frequen-  
ter ore tenere oportet, folia uero comedere. Triphe-  
ra minor à Mesue descripta, optima est. Optimū quo-  
tidie uacuo stomacho myrobalanum, chebulam con-  
ditam sumere, atque cum ea nonnihil panis ex saccha-  
ro, maratrog; in puluerem ducto compositi: quod  
insuper ingenio mirum in modum, ac producendæ ui-  
tæ prodest. Eufrasie quinetiam usus, oculis est singu-  
lare



lare praesidium. In omni uel dolore capitis, uel caligine oculorum, diuertendi sunt retrò uapores frictionibus cucurbitulisq;. Ac si calor in causa sit, sanguisq; abundet, hirudines ceruici & humeris adhibebimus.

De sensorio Gustus instaurando. Cap. XVII.

**S** Tomachus saepe literarum studiosis gustum frē omnem amittit, si id pituitae uitio incidit, quod acidus oris sapor, uel saliuā multa & glutinosior indicat, postquam aluum subduxeris medicinis, quas supra narrauimus: Aromatico rosaceo utere, scilicet saccharo rosaceo mixto, melle quoque rosaceo cum cinnamo, solo etiam uel gingibere condito, uel menthae Syrupo: sed in primis Theriaca. Sin autem bilis copia forte contingit, quod quidem os amarum ostendere solet, similiter post purgationem ex Aloë sicut diximus, praeparata, uel reubarbaro adsume, uel triasandalum, uel Oxysaccharā, saccharo, aceto albo, & uino acrioris punici mali, compositam. Vel persica pyrae, siue condita siue Syrupo confecta, sicut Mesues docet, uel nostram eiusmodi confectionem gustui saluberrimam. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, diamarenati uncias duas, diacytonites tantundem, scilicet uncias duas, myrobalanorum chebularum semunciam, emblicarum tantundem, sandali rubei, coralli rubri, utrorunq; aequae drachmam dimia

Saliuae humorum indices.



diā. Funde insuper Iuleb ex succo citri uel limonis un-  
cias treis aut duas. Quod si stomachus debilis est &  
frigidus, adijce duas cinnami drachmas. His ante ci-  
um duabus horis utendū. Nauseam semper ab utro-  
que natam humore tollit diacitonites, & usus cappa-  
ris cum aceto. Item potus modicus ieiuno stomacho  
albi aceti rosacei, si duplo sacchari pōdere misceatur.  
Rursus menthæ syrupus atque absynthij. Item men-  
tha uel aceto condita, uel acido mali punici succo di-  
luta atque rigata.

Exquisitissima atræ bilis reme-  
dia. Cap. XVIII.

**V**erum missa hæc tanquam leuiores iam facia-  
mus, atque ad id quod periculosissimum est, re-  
uertamur, ad atram bilem scilicet, quæ quoties abun-  
dat & furit, quum corpus totum, tum uel maxime spi-  
ritum quasi quoddam instrumentum ingenij, ipsumq;  
ingenium & iudicium labefactat. Primum in ea cu-  
randa præceptum sit, ut docuit Galenus, ne repente  
illam educere contendamus, ne forte eius parte liqui-  
diore subtilioreque subducta, residuum densius admo-  
dum, sicciusq; resideat, sed paulatim molliatur dige-  
raturq; pariter atque educatur. Secundum, ut inte-  
rim tam cibis humidioribus, quàm lauacris dulcibus  
& modicis, unguentisq; similibus caput & corpus  
totum ad summum pro uiribus humectetur, ea tamen

Et Hippo-  
crates in li-  
bro 7<sup>o</sup> 7<sup>o</sup>  
8<sup>o</sup> 10<sup>o</sup> 11<sup>o</sup> 12<sup>o</sup>.



cautione, ne uel destillatio irritetur, uel destruat<sup>ur</sup> stomachus aut iecur, uel meatus corporis obstruantur. Tertium uero, & id quidem maxime necessarium, ut continue cor foueatur, roboreturq; rebus congruis partim intus acceptis, partim extrà pectori naris bús ue adhibitis. Aspiciantur quoque & audiantur, odorentur, & cogitentur assidue quæ oblectent. Contraria uero longius arceantur.

Syrupi Melancholicis maximo futuri  
commodo. Cap. XIX.

**M**ulta quidem à multis, aduersus hunc humorem composita sunt. Ego autē in praesentia tria quaedam remediorum genera è plurimis adferā electissima omnium atque tutissima, accepta primum à priscis, deinde à recentioribus confirmata, interdum etiam à nobis ad usum nostrum accommodata. In primo est syripi optimi compositio. In secundo pilulae probatissimæ. In tertio electuaria saluberrima. His tribus opportune adhibitis, melancholicus humor molli<sup>ti</sup>tur & digeritur atque soluitur, spiritus acuantur & illustrantur, fouetur ingenium, memoria confirmatur. Syrupus est huiusmodi: Sume boraginis, buglossæ, florumq; utriusque, melissæ, capillorum Veneris, endiuivæ, uiolarum, Cuscutæ, polipodij, Senæ, epithymi, singulorum quantum manu capitur, pruna Damascena numero uiginti, odora poma, nu



mero decem, passularum unciam unam, liquiritiæ unciam dimidiam, cinnami, sandali rubri, corticum citri, singulorum drachmas tres, croci drachmam dimidiam. Coquantur in aqua omnia præter epithymum & aromata, donec pars tertia consumatur. Decoctio expressa post, cum saccharo iterum & epithymo moderate coquatur. Postremo infundantur aromata scilicet cinnamum atque crocus. Huius syrupi aurora calefacti unciae treis bibantur, simulq; unciae duæ aut treis aquæ buglossæ, atque unâ cum ijs ex sequentibus pilulis accipi debent duæ saltem, aut plures, prout cuique conuenit, eo scilicet pacto, ut alvus quotidie paulum moueatur.

Pilulæ ad humores uitiosos molliendos  
& expurgandos. Cap. XX.

**P**ilularum uero quantum ad propositum spectat, duo sunt genera, aliæ delicatis congruunt, robustioribus aliæ. Primæ, aureæ siue magicæ nominari possunt, partim Magorum imitatione, partim nostra inuentione, sub ipso Iouis Venerisq; fluxu compositæ, quæ Pituitam, Bilem, Atram bilem educunt absque molestia, singula membra corroborant, spiritus acuant & illuminant. Ita eos dilatant, ne constricti mœstitiam pariant, sed dilatatione & lumine gaudeant. Ita rursus stabiliunt, ne extensione nimia

cuat



evanescent. Sume igitur auri grana duodecim, maxime foliorum eius si pura sint, thuris, myrrhæ, croci, ligni aloës, cinnami, corticis citri, melissæ, serici crudi coccinei, menthæ, been albi, been rubei, singulorum drachmam dimidiam, rosarum purpurearum, sandali rubri, coralli rubri, myrobalanorum trium, scilicet emblicarum, chebularum, indarum, singulorum drachmam unam, aloës rite ablutæ tantundem quantum cunctorum pondus. Confice pilulas mero quàm electissimo. Sequuntur pilulæ ad soluendam melancholiam aliquanto ualidiores, ueruntamen minime uiolentæ. Sume peoniæ, myrrhæ, stichados Arabici, melissæ, thuris, croci, myrobalanorum trium, scilicet emblicarum, chebularum, indarum, rosarum, singulorum drachmam unam, trochiscorum Agarici, polipodij, epithymi, senæ, lapidis lazuli rite loti & præparati, lapidis Armeni effecti similiter, drachmas treis singulorum, Aloës lotæ uncias duas, uino perfecto pilulas confla. Si cum melancholia manifesta caliditas dominetur, quæ in hac compositione sunt frigida, ad tertiam insuper ponderis sui partem augenda erunt. Has pilulas ut literarum studiosis conuenit, Græcorum, Latinorum, Arabumq; imitatione composui: nolui uero fortiora miscere, quale uerarum, quo Carneades fanaticus utebatur. Viris enim literatis tantum uel paulò firmioribus consulo, qui-

Alia cõpo  
sitio.



bus nihil pestilentiùs est quàm uiolentia . Ideo prætermisi pilulas Indas, lapidisq; lazuli uel Armeni notas, & quam compositionem Ieralogodion appellant. Si denique decet simplicio rem compositionem inferere, qua ego familiarius utor: Sume Aloës lotæ unciam unam, myrobalanorū emblicarum atque chebularum, utriusque pariter drachmas duas, masticis drachmas duas, duas quoq; rosarum præsertim purpurearum, confice pilulas uino. Proinde pilulis aut ijs, aut illis, ex ijs scilicet quas probauimus, nemo unquam solis uti debet, ne forte nimium exiccetur: quod quidem in melancholia pessimum est, imò uel unà cum syrupo, quem sequuti partim Mesuem, partim Gentilem Fulginatē suprā descripsimus, uel cum uini odori leuissq; unc. una siue duabus siue tribus, ut cuique cōuenit. Aut cum aqua mellis & passularū atq; liquiritiæ. Aut sicubi caliditas dominatur, cum iuleb. uiolaceo aquaque uiolacea. Omnino autem consulo literatis, quicunq; ad atram bilem sunt proniores, ut hac purgatione bis quolibet anno, Vere scilicet autumnoq; utantur diebus quindecim continuis uel uiginti, pilulis scilicet cum syrupo atq; similibus. Quicunque uero paulò minus huic morbo obnoxij sunt, sat habebunt, si pilulas primas aut ultimas toto anno sumant, semel hebdomada qualibet, æstate quidem cum Iuleb, ut diximus, aliàs uero cum uino.

Aliqui



A liquidarum medicinarum usu

Medelæ. Cap. XXI.

**M**Eminisse uero oportet, ubi maximū in exicatione periculū imminet, purgare tamen necessitas cogit, operæpretium esse pilulas intermittere, atque in ipso syrupo uel simili quadam decoctione, facta in aqua Buglossæ quando purgandum est, interdum infundere diasenæ, uel diacatholiconis, uel Tripheræ persicæ unciam unam, aut saltem dimidiā. Quod si uel corpus robustius sit, uel astrictior et durior aluus, addere electuarij Hamech drachmā unam aut duas. Vtilis quoque hic est confecta Casia, utilior Manna. Nec omni melancholiæ speciei conueniunt, sed illi maxime quæ adustione creatur. Sin autem melancholia naturalis sit, cōueniunt quidem, uerum præcipue si in syrupo addatur polipodij portio dupla uel tripla, similiter liquiritiæ crociq; & passularum. Item medicinæ addantur mellis rosacei liquidi uncia duæ. Quoties uero syropus sumendus sit, in superioribus diximus. Sed medicina cum ipso ter uiginti diebus sumenda erit. Verum si melancholicus nullus humor appareat, tantum uero complexio melancholica, scilicet frigida membrorum qualitas atq; ficca, memento ducere aluum uel mittere sanguinem minime expedire, sed reliqua duntaxat facere, quæ uel diximus, uel dicemus. Præsertim quæcunque ad



corpus pertinent, mediocriter calefaciendum atque magnopere humectandum, spiritusq; quoad fieri potest illuminandos, fouendaq; membra. Vbi uero ipse atræ bilis humor exundat, non madesacimus tantum corpus atque humorem, sed etiam soluimus aluum ea cautione qua diximus. Nunquam uero uehementer. Siquidem Plato in Timæo nos monet, diuturnū morbum, qualis est melancholicus, non esse nimis ualentibus medicamentis atq; molestis pharmacis irritandū.

Sanguinis mittendi Canones.

Cap. XXII.

Copiosioris sanguinis notæ.

**S**Vnt nonnulli in sanguine mittendo audaciores, quos medici sapientes admodū detestantur. Nā sanguis est atræ bilis temperamentū, spiritus fomes, uitæ thesaurus. Solum uero ubi abundantiam sanguinis indicat, uel profusior risus, audaciaq; & confidentia multa, uel color rubens, uenarūq; tumor, mittere sanguinem literatis quando res postulat, debemus è uena lienis sinistri brachij, lata quidem incisione, quatuor uncias mane, uespere totidem. Deinde paucos post dies, saltem septem, ad summum quatuordecim, tum frictione quadam asperiore, tum admotis hirudinibus, quas Sanguisugas nominant, mariscas irritare, ut sanguinis uncie tres aut quatuor inde destillent. Hæc ambo robustioribus tantum facienda uidentur. Debilioribus uero, si necessitas postulat,



lat, mariscas solum sicut docuimus, irritare. Sed neque uentrem medicinis soluere, neque mittere sanguinem licet, nisi prius clysteribus pinguibus mollibusque lenieris. Atque hoc sit in melancholica natura commune præceptum, dandam esse operam, ut si oportuerit eiusmodi clysteribus frequentatis uenter inferior lubricus semper sit atque purgatus.

De Electuarijs & Confectis.

Cap. XXIII.

**S** Equuntur Electuaria, ex quibus laudo equidem quod Rasis, Exhilarans appellauit. Præterea quæ in libro De uiribus cordis Auicenna componit, sed multo magis quod Mesues ita cōscribit. Sume crudum sericum colore coccineo nuper tinctum, pondere libram unam. Id merge succo pomorū dulcium & suauiter redolentium, atque succo buglossæ, aquaque rosacea, singulorum libra una, post quatuor & uiginti horas, totum id coque suauiter, donec aqua rubeat. Deinde extrahe sericum, atque insuper exprime diligenter. Infunde mox sacchari candidissimi centum & quinquaginta drachmas, coque rursus donec quasi mel spissetur. Amoue tunc ab igne, atque infunde dum calet, ambrae crudæ diligenter conscissæ drachmas sex, & ut lique scat ambra permitte. Postremo adde his puluerem eiusmodi. Sume ligni Aloës crudi, cinnami, utriusque æque sex drachmas, lapia



dis Lazuli rite abluti drachmas tredecim, unionum, id est albarum margaritarum drachmas duas, auri ueri drachmam unam, musci electi partem drachmæ dimidiam. Dantur ex eo cum uino drachmæ duæ uel una, mane ac uespere ante cibum tribus aut quatuor horis. Id mihi præ cæteris ualde placet. Verūtamen probo etiam diamuscum Mesuës dulcem, compositio nemq; gemmarum, modò cum aqua rosacea adsumantur. Laudarem quoque mirifice quod est à Petro Ebanensi philosopho summo, conflatum, nisi ipsemet ex eius immodico usu dilatationem exhalationemq; spirituum nimiam formidaret. Quamobrem duo quædam insuper excogitavi tutissima, atque ob temperationem suam cuilibet tempori, ætati, naturæ conuenientissima, in quibus miscetur utile dulci. Quæ tantum nutriunt quantum fouent & roborant. Præterea spiritui & ingenio tantum stabiliendo, quantum acuendo & illustrando conueniunt. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, sacchari unà cum floribus buglossæ concocti uncias duas, corticis pomi citri saccharo conditi, unciam unam, chebulæ conditæ uncias duas, cinnami electi drachmam unam, sandali, coralli scilicet utriusque rubri, item serici coccinei crudi & conscissi, croci, margaritarum, singulorū drachmam dimidiam, auri, argenti, singulorum tertiam drachmæ partem, ambre, Musci utriusq; grana duo.



duo . Funde omnia simul succo citri uel limonis, saccharo cocti . Sequitur Confectio altera aliquanto salubrior, certe multò suauior . Sume amygdalarũ dulcium quatuor uncias, nucleorum pineorũ scilicet ablutorum diei unius spacio, seminum cucumeris, utrorumq; pariter uncias duas, sacchari duri quod Candum, id est, candidum uocant, quatuor uncias, sacchari alterius et albißimi, libram unam atque dimidiã . Funde cuncta hæc aqua rosacea, atque limonis & citri, in qua extinctum fuerit ignitũ aurum & argentum, simul coque suauiter . Demũ adde cinnami, been rubri, sandali rubri, coralli similis, singulorum drachmam unam, margaritarũ nitidissimarum, croci serici crudi coccinei minutissime attriti, singulorũ drachmam dimidiam, auri, argenti, utriusq; grana duodecim, hyacinthi, smaragdi, saphiri, carbunculi, singulorum tertiam drachmæ partem . Si cui uero desunt aurum, argentũ, ambra, muscus, preciosi lapilli, confectiones illæ etiam prodesse multum sine his poterunt . Quarũ treis potissimũ eligo, unam scilicet Mesues, quam recensui, duas uero nostras, quas modo descripsimus . Quo uero pacto ijs utendũ sit, superius satis exposuimus . Si quis autẽ simplicius aliquid appetat, omnibus tamen accõmodatũ, hic citri pomum perfecte maturũ, integrum perfecte contundat, multoq; saccharo & multo rosarũ succo adhibito,



to, coquat. Coctū uero modico cinnamo crocoq; con-  
diat, aut aromatico rosaceo utatur sic temperato. Su-  
me aromatici rosacei unciam unam, sacchari rosacei,  
sacchari diabuglossati, utriusq; uncias duas, aut si-  
militer, misceat Diamuscum. Quanquam enim duo  
hæc nō sint simplicia, tamen facile satis habentur. At  
si caliditas timeatur, diaprunis & saccharum uiola-  
ceum adiungantur.

Emaciantis uigiliæ Remedia.

Caput XXIII.

**S**Aepe melancholicis, præsertim literatis accide-  
re solet, ut nimium exiccato cerebro, uigilijs lon-  
gis extenuentur. Quoniam uero nihil atræ bilis mala  
magis auget, quàm longa uigilia, tanto malo, omni  
studio succurrendum. Ideo Lactucas post cibos alios  
edant unā cum pane modico, pauculo croco, uinumq;  
prium sorbeant post lactucam, neq; ultra horā lucu-  
brent. Quūq; se dormitū conferunt, confectionē eiūs-  
modi sumāt. In qua seminis papaueris albi unciae duæ  
sint: seminis lactucæ uncia una, Amomi, croci scili-  
cet utriusq; pars drachmæ dimidia, sacchari unciae  
sex. Dilue & coque omnia simul syrupo papaueris.  
Edant huius drachmas duas, simulq; nonnihil syrupi  
papaueris gustent aut uini. Illinias eis frontem tempo-  
raq; oleo ex uiolis, & ex nenufare adiecta campho-  
ra. Item lacte oleoq; amigdalino atque uiolaceo. Odo-  
rem



rem croci & camphoræ, putaminumq; dulcis ma-  
li naribus admouebis. Aceti insuper modici, sed aquæ  
rosacæ plurimæ. Sternes quoq; lectum plantarū fo-  
lijs frigidarum. Aures suauibus cantibus sonisq; deli-  
nies. Humectabis sæpe caput eiusmodi lauacris, scilia-  
cet aqua in qua cocta sint frusta papaueris, lactucæ,  
portulacæ, maluæ, rosarum, uitis, salicis, arundinūq;  
folia, addita camomilla. Balneis quoque dulcibus ex  
rebus eiusmodi, sæpe tibie brachiaq; sæpe totū cor-  
pus est humectandum. Lac insuper bibere mixtū sac-  
charo scilicet stomacho uacuo, si modo stomachus  
optime tolerauerit, maxime prodest. Humida hæc  
melancholicis etiam si satis dormiant mirifice conse-  
runt. Memento lac amigdalinum mensæ familiarissi-  
mum esse debere.

Memoriæ hebetis atq; obliuionis Re-  
media. Cap. XXV.

**A**ccidit uero nōnunquam ut studiosis, uel quia  
sedulo inclinato capite legant scribānt ue, uel  
quia ocio nimio torpeant, pituita quædam uiscosior  
unā cum frigida nimis melancholia caput occupans  
grauet, atq; hebetes obliuiososq; efficiat. His ergo ca-  
put exonerandum est ijs remedijs, quæ aliās diximus  
pituitæ conuenire. Sin minus illa suffecerint, ad pilu-  
las Indas & cocchias ieralogodionq; cōfugito. Præ-  
terea ad ieram diacoloquintidos uel Archigenis, uel

Cap. 13.



Andromachi uel Theodocionis, aut ad pilulas Iudæi,  
 quas Mesues in capitulo De capitis dolore describit.  
 Quod si natura ætās ue frigidior sit, nec æstas obstate  
 rit, post purgationem utere confectione illa anacardi-  
 na, quam Mesues sapientum confectionem nominat  
 in Antidotario. Rursus anacardina illa, quā in capi-  
 tulo De obliuione ex sentētia filij zachariæ recenset.  
 Da summo mane drachmā unam, sed qui eam sumit,  
 ab ira, coitu, ebrietate, labore, rebusq; calidis eo die  
 prorsus abstineat. Hæc quidem aduersus hebetudinē  
 obliuionemq; ualentissima sunt. At uero si familiaria  
 magis optes, da gingiber conditum, sed modico thu-  
 re mixtum, quod sensibus & memoriæ magnopere  
 prodest, præsertim his adiectis, scilicet melle anacar-  
 di, melle chebularum, acoris, ciperis, ambra musco.  
 Prodest etiam diambra, pliris sarcoticon, et diacori.  
 Sed hæc ore diutius retinenda, naribus etiam & aus-  
 ribus infundenda. Odor quoque thuris, amaraci, ma-  
 ratri, nucismuscatae, rutæ, gariophilorum, prodest  
 non mediocriter. Memento tamen Theriacam in his  
 atque similibus, quemadmodū ab initio diximus, nul-  
 li unquam remedio postponendam. Præterea hebeti-  
 bus obliuiosisq; tempora & ceruicem unctione eius-  
 modi unge. Sume olei sambucini unciam unam, olei  
 de been uncias duas, euphorbij unciam dimidiam, ca-  
 storei quoq; tantundē, perfricabis brachia, crura cer-  
 uicemq;



vicemq; uehementer. Ac si opus fuerit, ceruici cucurbitulas admouebis. Verticē præterea capitis amaro, thure, nucemuscata tunsis operies atq; fouebis.

Spirituum custodiæ nos esse intentos  
debere. Cap. XXVI.

**S**I homines ueritatis cupidi, tanta medicorū diligentia corporeum spiritum curare debent, ne forte omnino neglectus, uel impedimento sit, uel inepte seruiat quærentibus ueritatem, multo proculdubio diligentius incorporeum spiritum, id est intellectum ipsum disciplinæ moralis institutis colere decet, quo solo ueritas ipsa quum sit incorporea, capitur. Neque enim fas est solum animi seruum, id est corpus colere, animum uero corporis dominum regemq; negligere: præsertim quum Magorum Platonisq; sententia sit, corpus totum ab animo ita pendere, ut nisi animus bene ualuerit, corpus bene ualere non possit. Quapropter medicinæ author Apollo, non Hippocratem, quamuis ex sua stirpe genitum, sed Socratem sapientissimum iudicauit. Quippe quum quantū Hippocrates corpori, tantum Socrates animo sanando studuerit: quanquam quod tentauerant illi, solus Christus effecit. Proinde mentem nostram optimis colere moribus à Socrate iccirco iubemur, ut lucem ueritatemq; à nobis naturæ instinctu quæsitam serena mente facilius assequamur, quanto magis ueritatē ipsam



ipsam diuinam in primis religione sancta fas est uenerari? Ad quam quærendam capiendamq; non aliter creata mens est, quàm oculus ad lumen solis perspicendum. Atque, ut Plato noster inquit, quemadmodum uisus nihil usquam uisibile perspicit, nisi in ipso summi uisibilis, id est solis ipsius splendore, ita neque intellectus humanus intelligibile quicquam apprehendit, nisi in ipso intelligibilis summi, hoc est dei lumine nobis semper & ubiq; præsentem. In lumine inquam, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In lumine de quo canit Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen. Profecto quemadmodum purgatis oculis, inq; lumen ipsum aspicientibus, subito splendor eius infunditur, coloribus figurisq; rerum abunde refulgens, ita quum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem disciplinam purgata mens est, atque in diuinam ueritatem, id est deum ipsum religioso quodam flagrantissimoq; amore directam, subito, ut diuinus inquit Plato, diuina menti ueritas infuit, rationesq; ueras, quæ in ipsa continentur, quibusue omnia constant, feliciter explicat: quantoque mentem circumfundit lumine, tanto simul & uoluntatem gaudio beate perfundit.

DE STUDIO SORVM SANITATE  
TUTENDA, LIBRI FINIS.



# Index Capitulum

- I. De novem studiosorum ductibus - page - 1
- II. Quam diligens habenda cura sit  
oculi, cordis, stomachi et spiritus . . . 3
- III. Literator pituita et atrabili  
obnoxius esse . . . 4
- IIII. Quot sint causa, quibus literati  
melancholici sint, vel fiant . . . 5
- V. Cum melancholici ingeniosi sint,  
et qui horum sint ejusmodi,  
aut secus . . . 8
- VI. Quo pacto atrabilis ingeniosus efficiat . . 12
- VII. Quinque praecipue studiosorum  
portes, scilicet: pituita, atrabili,  
coitus, satietas, matutinus somnus . . . 14




VIII.	Qua in hora victuandis studiis opportunitas, quis et continendi modus . . . . .	20
IX.	Vitanda pituita praescripta . . . . .	22
X.	Qua ratione vitanda in atra bili . . . . .	23
XI.	De curatione Stomachi . . . . .	26
XII.	De iis quae foris membra praecipua et vires spiritus . . . . .	28
XIII.	Pharmaca pituita repressiva atque eductiva . . . . .	30
XIII.	Catarchi et distillationis, communis studiorum partes remedia . . . . .	31
XV.	De dolore capitis . . . . .	31
XVI.	Virus caligantis medulla . . . . .	32
XVII.	De unguine gustus instaurando — . . . . .	33




- XVIII. Equisetisum atræ bilis  
remedia . . . . . 34
- XIX. Syrupi Melancholicis maximo  
futuri commoda . . . . . 35
- XX. Pilula ad humores vitiosos  
molliendo et expurgando . . . . 36
- XXI. Aliquidarum medicinarum  
una misela . . . . . 39
- XXII. Sanguini mittendi Canon . . . 40
- XXIII. De Electuaris et confectis . . 41
- XXIIII. Emacianti vigilia remedia . . 44
- XXV. Memoria hebetis atque  
oblivionis remedia . . . . . 45
- XXVI. Spirituum custodia non esse  
intantum debere . . . . . 47
-





















M.

SA

ST



M. J. C. N.







